

*inertia pro fouit. De Autore adi Fabric. Bibl. lat. edit. Ernest. T. II. p. 29. Confer et Lessingii Symbolas vernac. e Biblioth. Wolfenbut. I. p. 67.*

XCIV. VII. H. 31.

709 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 58. 4. inscribitur: *Anti — Politicus Regis Davidis Spiritus in Ferdinando II. Romanorum Imperat. semper Augusto &c. rediuiuus Pia Psalmorum Paraphrasi expressus, nec non ad Res eiusdem pro Ecclesia Dei præclare in Imperio gestas accommodatus. Paraphraste J. W. J. C. Anno MDCXXXVIII. Psalmi sunt XX. primi interpolati ad modum, quem Specimen e Pf. IX. excerptum et hic adscriptum exhibet: In cædendo et conuertendo inimicum meum Palatinum, Gabor, Danum, Suecum et Galum retrorsum in terras suas: infirmabuntur cum rebellibus subditis meis, et peribunt, non a me, nec ab Exercitu meo, sed a irata facie tua.*

*Quoniam tu solus fecisti iudicium meum et causam meam defendendam suscepisti: sedisti super Thronum qui iudicas et respicis non Rationem Status, sed iustitiam. Increpasti gentes, Bohemos meos, et periit impius Fredericus: nomen, famam, et honorem eorum, qui direxere, delisti in æternum, et in sæculum sæculi.*

*Inimici mei, Palatini defecerunt in prælio Pragenfi, frameæ,*

*arma, et uires in finem, et ciuitates, ac terras eorum, qui militarunt ipsi, destruxisti et confiscasti.*

*Periit memoria eorum, Directorum cum sonitu, et tonitru bombardarum, et tormentorum in Monte Albo boantium et resonantium, et Dominus cum Ecclesia sua et fidelibus Seruis suis in æternum permanet.*

*Parauit iterum in iudicio thronum suum, et ipse, non ego, non Bauarus, non Tillius, non Cordua, iudicabit Durlachium, mox Halberstadium, post Mansfeldium, et instruet inde orbem terræ in æquitate: iudicabit populos, non in Ratione Status, sed in iustitia.*

*Atque hæc satis ad formandum de Ceteris iudicium. Quid si Literæ I. W. Johannem Weingartnerum e S. J. Ferdinando a facris Concionibus, et Literæ I. C. non Juris Consultum, sed aut Jesuitam Concionatorem, aut Jesu Commilitonem tegerent? Sed nihil definitio.*

XCV. VIII. C. 29.

Codex membraneus lat. Sec. 378 XIII. Folior. 146. f. luculente scriptus, rubricisque decoratus inscribitur: *Incipit Prefatio Honorii. in Cantica Cantorum. Initium: Donum. Sapientiæ. cum Salomone poscenti. a uero pacifico postulata consequi. Quia predecessori tuo beatæ memoriæ. Uenerando abbati C. (Cunoni) librum dauid utcunque explanauit &c. Ut in Bibl.*